

**PROOEMIUM\***

Dominae Dominique, Professores Illustrissimi et Clarissimi, corona omni laude digna!

Vobis omnibus nomine Societatis Studiis Neo-Latinis in Hungaria Provehendis et Societatis Studiis Antiquitatis in Hungaria Colendis salutem plurimam dico et nostris laboribus communibus eventus prospера fortuna felices responsuros maxime opto.

Colloquium nostrum inscribitur "*Hercules Neolatinus*", quod nobis propositum est compita culturae humanae litteris Latinis expressae in Europa praecipueque in regione Danubiana demonstrare. Nam litterae Europaeae mundanaeque praeſertimque nostrae et studia bonarum artium similia esse Herculi videntur, qui secundum fabulam in bivio conlocatus viam virtutum asperiorum ingredi voluit, non vitiorum viam faciliorem et magis apertam. Itaque, ut Hercules denique caelesti munere dignus evasit, sic litterae Neo-Latinæ ipsae quasi semper viam virtutum aeternarum ingressae sunt etiam nos cunctos semper ad astra velut elevantes. Quid nunc utilius reperitur? Nunc enim in rebus arduis, cum inter duos morum ordines conlocati simus (hoc est inter mundum gentium variarum et globum amplissimis impensis multinationalibus uniendum), velut oecumenen ex sui similibus efficiendam partibus arbitror, in qua virtutes moraliter olim aeternae fore putatae despici videntur. Humanitates enim pariterque litterae classicae bonaeque artes una cum iure gentium nec non dignitate seminarum hominumque disciplinarum maxime peritorum fere contemnuntur, consumptionis tamen appetitiones velut regulae normaeque morum ad vitam quotidiam agendam adhibentur et principia lucri magna cum aviditate quaerendi et quaestuum summa cum avaritia faciendarum necnon copiarum in rebus materialibus repetundarum spiritualitatem omnem et tranquillitatem animi periculose magnopere superant vincuntque consilio, prudentia et fide pariter neglectis. Atenimvero, quisquis normam mercatus legem solam debere esse contendit, ita ut turpi silentio premat veritatem et humanitatem excolendam coercent necesse est, is simul fateatur in summum se discrimen genus humanum velle totum adducere. Quibus quidem concessis fieri non potest, quin societas nostra in perniciem preeceps ruat. Excaecant enim privatae publicaeque cupiditates negotiorum internationalium oculos tantopere nostros, ut principes gentium non videant e proximo vestigio et in natura ambiente et in principiis moralibus praecipitia populorum dumtaxat industria mercaturaque excellentium, attamen et mente et animo vilium planeque rudium. Illud itaque consilium reiciendum fore reor, ex quo amplius malum atque utilitas vera exspectatur. Ex his omnibus conicere licet quam me-

\* Oratio in inaugurando colloquio quod inscribitur *Compita litterarum, scientiarum religionumque Europeae Neo-Latinæ finibus obvia sive "Hercules Neolatinus"* (Interférences culturelles en Europe Néo-latine), Debrecini die I mensis Septembris anno MMV habita.

tuenda civilisationi nostrae imminere possit tempestas, si solum domibus mercatoriis internationalibus multinationalibusque et imperiis tantum rebus materialibus et armis praepotentibus dominatio per orbem terrarum concedatur et pravissimis quisque principiis abreptus atque ab omni prorsus affectu homine digno alienus turpi libidini pareat et naturalem aequitatem excedat? Teste enim Tacito perdere multi sciunt, donare nesciunt.

Nunc, cum quinquennio post novum et saeculum et millennium inauguratum fortasse aevum mundialisationis inierimus et interea serpat malum, quod perverse foveat corpus, et homines plerique per avaritiam pecuniis auctam rigidi videantur et sordidi, Neo-Latinitas praecipue non est neglegenda, quia quaedam immortalitas animi desideratur et quia ad illam Latinitas ipsa viva multum conferre potest hereditate Antiquitatis Christianitatisque et dignitate hominum sicut animalium intellegentium conservata et pariter terminologia disciplinarum scientiarumque sine confusione linguarum Babylonica naviter elaborata. Denique totam de rebus simplicibus imaginem delineatam rhetorica Latina, optimi pictoris instar, colorum varietate hominibus in arte litteraria versantibus convestire potest. Nunc autem maxime necessaria sunt: ingenii acies, consiliorum maturitas pacisque artes quae iuncta auctoritatem creant gregi doctorum hominum electo. Quoties temere in pericula ruentem humanitas docta protexit? Eam ob causam tanta patrimonii Graeco-Latinitatis cura tenemur, ut auctorati generis humani ornamento fore putemus hodiernum electorum hominum gregem faventium linguae Latinae virorum mulierumque. Tanti nempe generis humani salutis interest habere professores in quibus virtutes immortales cum scientia ex aequo certent et qui singulari sapientia praediti etiam homines utilitate seductos voluptatibusque deditos et vana spe alitos et fugientis fortunae sequaces et paleo vanitatum submersos ad altiorem spiritualitatem et ad affectus humanos verbis sinceris, puris honestisque efferendos ac ad integratatem animi sine simulatione in vita sociali accommodandam reducere possint operibus virtutibusque aliarum gentium quam plurimarum communi saluti bonoque adhibitis. Non est peritus is nauclerus, qui furentibus ventis gubernaculum committit artis nauticae prorsus ignaris. Magni itaque refert, ut a maioribus nostris acceptam lucem in tenebras hodierni materialismi modernas convertamus respicientes bonum communem ut finem omnium bonorum.

Ergo paucis verbis monitos eos volo quorum curae homines, qui litteris eminere student, causa informandi committuntur, ne popularium immo vulgarium adulatorum, qui rebus materialibus genus nostrum false decipiunt, morem secuti sint, sed sint memores Apellis celeberrimi pictoris, qui quidquid pingebat, omnium oculis expositum esse voluit, ut transeuntes et materiem corporis et aequo modo spiritualitatem animi visu menteque acciperent. Quamobrem nos ipsi colloquio nostro complectamur virtutes antiquas etiam hoc die valentes, ut Hercules in bivio hodierni illas consequi possint quam frequentissimi; itidem demonstremus vitia, quae cuidam cavere oportet, ut Latinitas viva generi humano toti nunc et semper felicitatem pariat, quod haec est regula ad salutem communem servandam vere utilis et in democratisa vera id est populo utili et in mundo humanitatis optime eruditiae vivente in robore sua maturitatis nec non in pace semper exoptata et nunc inaugura. Virtutis enim praemium est dominium sublimitatis excelsitatisque potestati sua capiendum. Sic commoda spiritualitatis nunquam seiunguntur a rerum

quotidianarum commodis, quamquam bene scio Diogenis lucerna non raro opus esse, quia multi deliciis animum videntur habere depravatum. Sed ipse Atlas in auxilium vocavit Herculem. Cur igitur mundus noster ad unitatem contendens non poscat studia Neo-Latina in visceribus amplas facultates possidentia, ut eis genus humanum proposita adse-  
gutur? Haud dubito quin ignis sub cineribus adhuc quidem abditus lateat, sed in flam-  
mam illico possit erumpere. At tempus adest! “Iam ardet Ucalegon!” Caveamus, ne ex  
mora aut dissimulatione exasperetur malum, quod postea nullo curandum ferro fore vi-  
deatur. Exstabit enim virus, quod confirmato nocendi modo virtutis colendae ardorem  
extinguere sataget. Caveamus, ne virus iuventutis animo funestissimum inseratur, cui  
eveliendo vix demum longior etiam aetas par videbitur. Ego non mundo uniendo contra-  
dico, ast tantum pecuniarum rerumque illicitarum imperiorumque tyrannicorum cupidus et  
in vacuum spirituale labenti quasi anencephalotrophia dolenti ac mortem manu propria  
sibi facienti mundo, contradico huic mundo sui interemptori voluntario: sapiens enim  
servit tempori, progressioni technique, salva tamen virtute humanitateque naturaque quae  
nos omnes donis suis benevolens cingit.

Quibus expositis spero colloquium nostrum exspectationi esse responsurum tanta pru-  
dentiae et tanta eruditio*nis* editurum specimina, ut omnem participum amorem lucretur.  
Quo in munere explendo exemplum praebent opera Michaelis Babits, qui poeta Hunga-  
rus saeculo vicesimo floruit. Is de argumento conventui nostro optime aptabili exhorta-  
tionem hymnicam Latine scripsit, quae inscribitur *Ad animositatem sapientium*.

Canam ecce hymnum in te,  
secretorum labyrinth  
casta mentium libido,  
omnis ignoti cupido.

Eburnea turris vitae  
nec debilibus invitae,  
periculum dulce tutis,  
fons aeternae juventutis.

Tu peragrans nocte pampas  
in tenebris vera lampas,  
tu perustis sole Nubis  
lucis aestuosae nubis.

Spes simul remotis oris  
desperati viatoris  
tu viae dicens ignarum,  
sola fax scientiarum.

Artium tu sola mater,  
animus Thyadis ater,  
magna silvarum securis,  
remedium certe curis.

Omnis ignoti cupido  
casta mentium libido  
secretorum labyrinthine,  
ecce hymnum, hymnum in te!\*

In hoc hymno coniunguntur inter se partim artes medii aevi hymnodiae, partim aemulatio poetae Hungari cum poesi Baudeleriana Latine composita, quod poeta Francogallicus sic suaे Franciscae hymnum Latine scriptum dedicavit:

Novis te cantabo chordis.

Sic nascitur ex partibus diversis conflictis quaedam magnificentia, quaedam excellentia, quae maxime genuina eodem tempore aestimatur et sua iucunditate venustateque nos omnes incantat sicut Neo-Latinitas ipsa ex elementis variis composita artem magicam exercere potuit multis annis labentibus per saecula longaeva. Ergo non dubito quin etiam colloquium nostrum spem de se conceptam confirmet; nam munus adeo explebit, ut nihil in eo seu consilii, seu industriae umquam desideretur. Nos cuncti dicimus pluris nos eam facere laudem, quae a probe administrata aequitate et litteris colendis nec non studiis scientiis provehendis humanitateque promovenda venit, quam opes longe amplissimas, frustra collatas, quod nostra inter ceteros homines honore vano eminentia despicitur. Virtutum viam ingressi viamque vitiorum evitantes viri mulieresque studiis Neo-Latinis provehendis faventes contribuent viribus suis, ut mundialisatio ad meliora ducatur. Nautas imitari oportebit, qui exorta tempestate turbatoque caelo tantisper paululum mutant velificationem, donec ad opportunum locum navem appellant. Idcirco accommodemus nosmet necessitatibus mundialisrationis, attamen iuribus humanis respectis dignitate hominum honorata et libertate in domu Europaea solito more conservata paceque per orbem terrarum condita; alioquin mundialisatio generi humano labem inferet et multo maximam creabit perniciem, quod licentia effrenata tempestas est periculosissima. Cui rei quam optime consonat illa poetae sententia:

dat veniam corvis, vexat censura columbas,

id est: ius educandi generale cuilibet concedendum non intellegi potest quasi permissio ad destruendos mores aut ad labefactandas virtutes et artes saeculorum; nam in hoc est

\* BABITS Mihály *Összegyűjtött versei* (Poemata collecta), ed. BELIA György, Budapest, Szépirodalmi, 1977, 538–539.

*fundamentum pseudo-democraciae necnon fomes inclinationis decadentiaeque civilisationis nostrae concutiendae concussaeque.*

Initio orationis meae multitudo auditorum corona omni laude digna est appellata. Haec vox coronam Hungariae sacram in memoriam nostram revocat, de qua Florus ille Hungaricus idemque Iohannes Nadányi scripserat:

Gentis magnanimae radians per saecula sidus,  
clarius anne solo, clarius anne salo:  
Dum fulges gemmisque viris, te praeside dudum  
patria praesentem creditit esse Deum.

Ex quo haud dubie enascitur persuasio nostra communis: Dum fulget corona Neo-Latinatatis gemmis viris virtutibus clara, patria communis nostra partim domus Europaea, partim orbis terrarum totus pace salute et humanitate permanebit, quia salus universorum in probe ordinata re publica mundana lex suprema erit ut convenit ideae Antiquitatis Graeco-Latinatatis et Iudeo-Christianitatis, in quibus vera relucet honestas. Ea agere nos omnes oportet, quae felicitatem generis humani conservant, ea vero fugere, quae labefac- tant; secus verendum est, ne longe funestius denuo erumpat incendium vicesimo saeculo holocaustorum diversorum aetate cognitum, quod virtutes paene universas demoliebatur. Nos autem accipiamus consilium subtile regis Hungariae primi, Sancti Stephani, qui filium suum olim monuit: "Sis mitis, ut nunquam iustitiae repugnes. Sis honestus, ut nunquam alicui spontaneum inferas dedecus!" Discamus ex his, Collegae illustrissimi! Hac de re sint animi consentientes! Ne sint inter nos ullus parricida fratris Rogerii! Ae- quum enim est, ut qui imperio armisque et rebus oeconomicis praesunt ceteris, praeterea aliis etiam integritate morum emineant alios tamen secum eodem tempore adaequantes. Prae- stantiam igitur humanitatis Neo-Latinæ nullo modo ad inania relegendam esse existimo. Macte antiqua novaque virtute optimus quisque coronae particeps, sic itur ad astra et colloquium nostrum denique eventu laetum observabitur.

Quam ob rem, Dominae Dominique, omnes vires intendite, ut miserarum doctrinarum humanarum querelis adsistatis tantoque mundialisationis malo mederi velitis prout valeatis. Impavido pectore agite! Vituperationis plena sunt verba: "me paenitet, non putabam". Caveamus nos omnes, ne societas consumentium et technocratarum aequitatis limites excedere videatur! Nam multo satius est impigram labori admovere manum, antequam occasio praeterlabatur. Non omne praemium consistit in auro argentoque pecuniisque nummisque, sed etiam in litterarum, artium scientiarumque calendarum delectatione, in ipsa ratione et cogitatione logice philosophiceque linguae Latinae ope exercenda nec non mutua caritate facienda, quibus maximum animi utilitate rerum dominandique libidine onerati solacium nascitur. Superest, ut alteram Herculis ipsius faciem cognoscamus. Hercules enim non solum vir virtutibus excellens, sed et propugnator libertatis id est liberator subditorum, oppressorum, spoliatorum submissorumque et persona comoedium risum spectatoribus eliciens, qui nunc homo caducus, nunc clavam tollens in scaenam provenit. Speramus igitur Herculem Neo-Latinum nos curis sollicitudinibusque

liberare et risum lenem participibus coronae nostrae interdum evocare posse. Hercules ridens etiam iuventutem sibi conciliare valet, nam rusticitas cum comitate beneficiisque non minuit reverentiam, non tollit suapte natura aestimationem.

Restat, ut praeter eas Latinitatis virtutes, quas exordiens rettuli, Vos proprietates eius excellentes ceteras quam plurimas orationibus vestris adducatis vigilantes moderatione temperantiaque servata, quod pax est bello praeferenda populique orbis terrarum non solum foedere sunt coniungendi, sed etiam gravitate morum integrorum humanitatisque thesauro. Ut haec eveniant, operam date, omnem agendi rationem ad aequitatis leges dirigatis. Sic nostrum quemque ad summum dignitatis apicem evenient virtutes litterarum artiumque comite fortuna et sic viribus unitis fundamenta hodie conduntur et cras solide iacentur conventus de studiis Neo-Latinis colendis Budapestini anno MMVI habendi. Ut enim Hieronymus ait: “Romanus orbis ruit et tamen cervix nostra erecta non flectitur”, etiam vos sic mementote: Lux non extinguitur, quae communicatur lucemque haud secus atque antea sparget, quamvis alienam accendat facem. Plaudite! Omnes beati esse volamus, nemo miser.

*Ladislauš Havas  
alias Lunaticus,  
qui nonnunquam etiam  
Nivosus seu Niveus nominatur*

Datum Debrecini die XXXI mensis Augusti anno MMV